

quod Ecclesiae consecratae, et Coemeterii reconciliatio non possit fieri nisi per Episcopum Diocesanum, vel per alium Episcopum de consensu ipsius, et non per simplicem Sacerdotem, decrevit pluries Sacra Rit. Congreg. et signanter in Placentina 19. Maii 1607. in Cameracensi 9 Februar. 1608. et in Aretin. 9 Aprilis 1633. (67. Ex privilegio, seu commissione Summi Pontificis reconciliatio Ecclesiae pollutae potest fieri etiam a simplici Sacerdote. *Est communis*, et habetur ex Sac. Cong. Rit. quae in Placentina 19. Maii 1607. decrevit non posse simplicem Sacerdotem reconciliare Ecclesiam consecratam pollutam sine licentia Sedis Apostolicae. (68. Et de facto ex privilegio a Leone Decimo concessio Generalibus, Provincialibus, Custodibus, et Guardianis Fratrum Minorum, possunt ipsi, alique Praelati Regulares Ecclesias sibi subjectas quomodocumque violatas, etiam prius consecratas, reconciliare, aqua per ipsos benedicta, si Episcopus, qui illam benedicit, distet ultra duas dietas, alias debent uti aqua per Episcopum benedicta. Tale privilegium habetur in compendio privilegiorum Fratrum

mentorum non confertur sola voluntate, et verbo; sed factu opus est; quia necessaria est visibilis unctio, et exterior, quae est signum interioris et in corde. Cap. unic. *de Sac. Unctione*. Ita Glossa in *Laud. Cap. Aqua*, Verb. *Jurisdicatio*. Quod etiam luculentioribus verbis expressit D. Thomas, cum docuit duplicem esse spiritualem potestatem, aliam Sacramentalem, aliam vero Jurisdictionalem; Sacramentalis, quae enim confertur per aliquam Consecrationem; potestas autem Jurisdictionalis ex simplici injunctioe hominis confertur 2-2. q. 3. art. 3.

Hunc itaque actum, atque jus reconciliandi Ecclesiam pollutam ad Episcopalis Ordinis potestatem pertinere declarat atque decernit Pontifex in adducta Decretali; ideoque a simplici Presbytero, etiam praecedente Episcopali delegatione, peragi non posse. Et licet, si secus fieret, reconciliatio ipsa nullius roboris esset reputanda, uti sentit Glossa in *Laud. Cap. Aqua* Verb. *Jurisdicatio*, et verb. *Toleramus*; demandante tamen Summo Pontifice hujusmodi reconciliacionem, per simplices etiam Presbyteros fieri posse, communiter docent Theologi, ac Canonum interpretes. Quare non tam ex natura rei, sed potius ratione prohibitionis, ac praecipii potestatem reconciliandi pollutas Ecclesias Episcopis privative factam suspicaver.

Id quidem rectissime sancitum occurrit velut vestigium antiquae disciplinae. Haec enim sollemnis et publica Ecclesiae reconciliatio, cum figura esset publicae et sollemnis reconciliacionis animae per peccatum pollutae; quemadmodum isthaec sollemnis Poenitentium reconciliatio per neminem, nisi per Episcopum fiebat, ita et Templi reconciliatio, quae ut per solum Episcopum fieret Ecclesiae canonibus decretum fuisse constat. Van-Espen Part. II. sect. 2. tit. seqq. *de Aedificand., consecrand. etc.*, cap. 4. num. 21. etc.

Illud etiam quæri poterit; num scilicet vis consuetudinis legitime inductae dispositioni hujusce Decretalis derogari possit; ut per simplicem etiam Presbyterum, obtenta tamen delegatione ab Ordinario, atque adhibita aqua ab Episcopo benedicta, quam vocant *Gregorianam*, possit Ecclesia polluta reconciliari; licet ibidem consuetudo contraria, veluti *corruptela* damnetur. Ita sane respondet ac docet Cl. Pontas in suo *Dictionar. Respons. ad Cas. 17.* verb. *Ecclesia*, qui ibidem adserit ad reconciliatio-

Minorum, et aliorum Mendicantium, et non Mendicantium ab Alphonso de Casarub. secunda edit. sub verb. *Benedicere* § 4. et refert Sayr, *de Cens. l. 3. c. 16. n. 31.* et de eo testantur passim Doctores, et signanter plures citati a Barb. dict. allegat. 28. n. 64. (69. Immo Rodriguez tom. 1. qq. *Regul. q. 16. art. 6.* quem sequitur Barbosa, et alii, vult posse Regulares uti dicto privilegio reconciliandi Ecclesias aqua per ipsos benedicta, non solum quando Sedes ordinaria Episcopi distat duabus dietis ab Ecclesia polluta, sed etiam quando Episcopus taliter distat ratione suae absentiae, vel abest per mortem, renunciationem, depositionem, exilium, etc. (70. Quaelibet dieta continet 20. milliaria Italica juxta Glossam in cap. *Nonnulli* 28. *de Rescriptis*, verb. *Ultra duas dietas* arg. l. 3. ff. *de Verbor. Significat.* quam Glossam sequitur Barbosa loc. cit. num. 64. cum pluribus aliis ibi a se adductis.

(71. Si Ecclesia polluta non fuerit consecrata, sed solummodo benedicta, reconciliari potest per quemlibet simplicem Sacerdotem per solam aquae lustralis aspersionem: c. *Si Ecclesia* 10, *de Consecrat. Ecclesiae* ibi: « Si

nem Ecclesiae pollutae non esse absolute necessarium personale Episcopi ministerium; atque in multis Galliae Diocesisibus usum obtinere, ut satis sit pro hac caeremonia peragenda Sacerdotem ab Episcopo deputari. In Belgio quoque testatur Van-Espenius reconciliacionem Ecclesiae consecratae passim fieri per Sacerdotales ab Episcopis delegatos. Num vero istud ex privilegio Romana Sede concessio habeant Episcopi Belgii, ut possint ad hanc functionem simplicem etiam Sacerdotem delegare, quemadmodum testatur Innocentius IV, in hanc Decretalem, Pontificem pluribus Episcopis hoc privilegium indulsisse, se ignorare fatetur Van-Espen. l. c.

Demum breviter inquirendum, quidnam agendum Parocho, si haec aut similis facti species eveniat. Oborta forte rixa in Ecclesia inter duas mulieres, altera in alteram tanto impetu insiluit, ejusque fauces tanta vi compressit, ut pene illam ad mortem redegerit. Semianimis itaque relicta in Ecclesia, atque inde in vicinam domum delata, iudicio Medicorum de ipsius vita conclamatum, brevi creditur moritura. Dum itaque mortis eventus expectetur, atque suspensus haereat, quid interea temporis Parocho erit agendum?

Resp. Praeter cessationem a Divinis Officiis, nihil praeterea molendum, donec mortis aut valetudinis eventus adhuc pendeat suspensus. Neque enim accedendum statim ad reconciliacionem Ecclesiae, cum nondum pollutionis maculam contraxerit; cum nulla sanguinis effusio in Ecclesia contigerit, tantum Obitu mulieris adveniente pollui poterit Ecclesia, qui Obitus nondum accidit. Praeterea, si post hujusmodi reconciliacionem mulieris mors eveniat, iterum erit ecclesia reconcilianda cum prior reconciliatio peracta in ecclesia nondum polluta, nullius penitus momenti erit habenda; si vero sanitati mulier restituatur, risu forte excipienda foret publica et sollemnis reconciliacionis caeremonia antea peracta. Quapropter, uti diximus, expectandus rei eventus, cessando tantum interea a Divinis Officiis. Quod si illa et vita excedat, protinus erit Ecclesia reconcilianda. Ita olim respondit Cl. Cabassutius in simili facti specie suam sententiam rogatus, ejusmodi responsionem inseruit in sua *Theor. et Prax Jur. Canon. lib. V. cap. 21. n. 16.* Et Pontas, in *Dictionar. Cas. Conscient. vers. Ecclesia*, cas. 9. (EDIT. NEAP.)

Ecclesia non consecrata, cujuscumque semine fuerit aut sanguinis effusione polluta, aqua protinus exorcizata lavetur, et sic Glossa communiter recepta, ibi: verb. *Lavetur*. (72. Neque requiritur quod aqua pro reconcilianda Ecclesia non consecrata sit per Episcopum benedicta: debet enim statim, etiam irrequisito Episcopo, a Rectore Ecclesiae, vel alio Sacerdote aqua lustrali lavari, seu reconciliari, ut praescribit cit. textus: «Aqua protinus exorcizata lavetur»; quod non possit *protinus* fieri, si Episcopo licentia, benedictio, aut auctoritas esset expectanda, et exorcismus aquae per Episcopum esset faciendus, nec haberetur justus finis intentus a Canone, «Ne divinae laudis organa suspendantur», ut cit. cap. *Ecclesia*, recte advertunt Doctores. Aliter loquitur citatus Maraviglia Leg. 348. *Prud. Episc.* Juxta ipsum enim poterit etiam Ecclesia consecrata polluta, ex permissione Episcopi, aut illius Vicarii, ablui aqua benedicta per simplicem Sacerdotem, adhibitis ordinariis benedictionum precibus, et postea poterit intra eam divina officia celebrari, sicuti prius, donec per Episcopum consecratur. Contra vero, si Ecclesia tantum benedicta et non consecrata polluat, sufficet ordinaria quidem reconciliatio per simplicem Sacerdotem, sed ex mandato Episcopi, ex c. fin. *de Consecr. Eccl.* Juncta Glossa.

(73. Coemeterium consecratur, et reconciliatur eisdem modis, et ab eisdem, quibus consecratur et reconciliatur ipsa Ecclesia; arg. cap. *Consulvisti* 7, *de Ecclesiae Consecr.* et cap. *Si Ecclesiam* unic. eod. tit. in 6, et Pontificalis Romani, ex quo eodem ritu consecratur Ecclesia et Coemeterium: ita tenet communis Doctorum cum Silvestr. verb. *Coemeterium* q. 1. Pirhing. loc. cit. n. 30. Reiffenstuel l. c. num. 29.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(74. Facile est rationem reddere, cur Ecclesia semel sollemni ritu consecrata denuo consecrari haud possit, quocumque etiam enormi crimine polluta. (75. Consecratio enim templi materialis, repraesentat consecrationem templi spiritualis per baptismum, atque hac ratione ritus istius consecrationis ad similitudinem rituum hujus spiritualis consecrationis sunt plures inducti. (76. Quo factum est, ut sicuti templum spirituale semel per (77. baptismum consecratum, licet postmodum per peccatum fuerit violatum, haud potest iterato per Baptismum consecrari, ita nec templi materialis sollemnis consecratio huic spiritualis templi consecrationi respondens iteranda est. (78. Vide decretum, quod sub nomine Concilii Nicaeni, licet falso, refert Gratian. dist. 68, can. 3, et rursus dist. 1, *de Consecrat. can. 20.*

(79. Quomodo autem constare possit de consecratione Ecclesiae, non inutilis investigatio est: «Per unum Testem, qui dicat fuisse consecratam sive de visu, sive de auditu, vel per notam in libris Ecclesiae, vel pariete, sive tabula marmorea, quia tunc

sufficiunt semiplenae probationes quando nemini sit praedictum: » ita apposite ait Zoes. in *Decret. lib. 3. tit. 40. n. 1.* in addit.

(80. Sin autem de consecratione minime constet, vel dubia ea sit, consecranda est Ecclesia; eodem modo ac reiterari potest baptismus, si dubium sit, an is valide sit collatus, ut sub nomine Concilii Meldensis habetur can. 18, dist. 1, *de Consecrat.*

(81. Consecrari vero denuo potest Ecclesia, si ipsa vel in totum, vel ex majori parte destructa fuerit, quod quando evenisse dici possit, recte explicat Auctor a n. 19, ad plur. sequent. (82. Hic vero non est praetereundum, quod saeculo XI, persuasum fuit, principali Altari everso, totam Ecclesiam esse consecrandam. (83. Fundata autem fuit persuasio haec in Canone falso Higinio Papae adscripto; Vide dist. 1, can. 19, *de Consecrat.* tum haec a sancto Anselmo lib. 3, epist. 159, reddebatur ratio. (84. «Altare (aiebat) non fit propter Ecclesiam, sed Ecclesia propter Altare, et ideo violato principali Altari, jam non videtur esse Ecclesia, quia non est illud propter quod Ecclesia constituitur et consecratur. Quapropter quum illud fit novum, recte videtur cum eo consecrari, per quod recipit ut sit Ecclesia. » At sub finem Saeculi XII, haec disciplina mutari coepit, uti constat ex decretali Alexandri III. in cap. 1, *de Consecrat. Eccles.*

(85. De ritibus, quibus tum antiquitus usa est, tum in praesens utitur Ecclesia in consecratione, confer Bohemer. in *Decretal. lib. 3. tit. 40. fer. per tot.* (86. De mystico vero ipsorum significato adi Durand. in *Ration. divin. offic. lib. 1. cap. 6.* Remigium apud Marten. t. 3, *de Antiqu. Eccles. Ritib.* lib. 2, cap. 13, pag. 242, et sequent. et Honorium Scriptorum Saeculi XI. in *Sacramentario* edito a Bernardo Pezio tom. 2. *Thesaur. anecdot. novissim.* p. 1, c. 100 pag. 339 et sequent.

ARTICULUS V.

Quoad varia miscellanea Ecclesiam concernentia.

(1. Nemo potest habere fenestram, per quam prospectus, nec portam, per quam transitus habeatur in Ecclesiam, sine indulto Apostolico, ut pluries declaravit Sac. Congr. Episc. et Reg. et signanter in Casertana 8 Junii 1646, in Cusentina 14 Decemb. 1646, in Hortonen. 11 Junii 1655, in Veronen. 15 Junii 1655, in Alexandr. 14 Novembris 1659. (2. Immo injungitur Episcopo, ut cryptas, et aditus subterraneos a domibus privatorum ad Ecclesias et loca immunia claudere faciat; S. Cong. immunit. in Aquilana 9 Martii 1632, l. 2, *decr. Pauluc.* pag. 115. Quod indultum saepe petentibus denegatur, ut in Andrien. et Telesina. 5 Martii 1619, et in Pisaurien. 3 Octob. 1692. (3. Talis prohibitio vim habet etiam in eo, qui habet januam correspondentem in Domo Parochoi Ecclesiae contigua, ut declaravit eadem Sacra Congregatio Episcoporum. in Faventina 17. Februarii 1619, in qua casus ita propositus erat: «Episcopus Faventinus, cum in visitatione Ecclesiarum Parochialium quasdam

Privatorum domus, Parochorum Domibus contiguas, et Januas ex quibus in eorundem Parochorum Domibus accessus patet, habentes invenisset; illarumque Domini easdem Januas per multum temporis spatium possedisse prætenderent; ut in posterum eadem Januæ mutari debeant, decrevit. Quo per Sanctissimum audito, Decretum hujusmodi probavit, et executione mandari ordinavit. »

(4. Immo ne quidem Ducibus, et Marchionibus id permitti posse declaravit eadem Sacra Congregatio 5 Martii 1619, his verbis: « Non si concedere ne anche a' Duchi, ed a' Marchesi di aprire fenestre, che rispondano in Chiesa per ascoltare da quelle la Messa, ed i divini officij » neque quoad portas, idque etiamsi extaret longa consuetudo, et essent patroni, ut in una Faventina 15 Februar. 1619, his verbis: « Si devono murar le porte, per le quali dalle case contigue si può entrare nella Chiesa, non ostante i Padroni siano soliti per lungo tempo tenerle aperte. »

(5. Unde non debet Ordinarius permittere, ut ab Ecclesiis sit ingressus, transitus, vel prospectus in privatas aedes, neque super Ecclesias esse Cameras, vel loca ad habitandum, dormiendum, vel deambulandum absque licentia Sedis Apostolicæ, alias debent interdici, donec hæ servitutes removeantur; ut sæpe decrevit eadem Sacra Congregatio Episcoporum præsertim in Hieracen. 26 Julii 1613, in Melphiten. 2 Octobr. 1626, in Neapolitana 13 April. 1646, et in Hortonen. 11 Junii 1635. (6. Nisi tamen in limine foundationis Ecclesiæ Fundator, seu aliquis insignis Benefactor, sibi reservaverit Jus habendi prospectum, seu ingressum in ipsam. Quia in tali casu ne Laici a foundationibus retrahantur, cum possit Episcopus Leges et conditiones, etiam Juri communi contrarias admittere, juxta communem DD. sententiam, teste Ricc. dec. Cur. Archiepisc. Neapol. 29, per tot. part. 1. Ciarlin. contr. 53, n. 48. Lotter. de Re Benefic., lib. 1, qu. 32, n. 3. Tondut. q. Benefic. tom. 1, part. 1, cap. 5, num. 5, posset Ecclesiam cum hac lege fundatam, valide huic servituti subijcere; Lotter. dict. qu. 32, per tot. et præsertim num. 15 et 16. Monacell. part. 1, tit. 6, formul. 10, num. 18. Vide verb. Porta, et verb. Prospectus.

(7. Sedilia, seu scamna propria ponere in Ecclesia nemo potest absque facultate Rectoris Ecclesiæ, et invito Episcopo, et si ab aliquibus apponantur, possunt a Rectore et Episcopo removeri, maxime quando sunt causa rumoris, et impediunt functiones, et celebrantes, ut pluries tenuit Sacra Congregatio Episcoporum, et signanter in Januens. 7. April. 1583. in Camerinen. 12. Januarii 1588. in Sarzanen. 21. Novembr. 1623. in Recanaten. 10. Februar. 1645. in Narniens. Terræ Carbi 8. Maii 1693. et Sacra Congr. Rit. in Vintimilien. 10. Decembr. 1694. in Fundana 5. Octobr. 1697. et in Verulana 9. Septembr. 1698. (8. Ex tolerantia tamen, vel licentia Episcopi, seu Rectoris Ecclesiæ possunt laici acquirere Jus retinendi sedilia, seu se-

dendi in Ecclesia, non quoad Dominium, vel proprietatem, sed solum quoad usum revocabilem ad libitum Rectoris, et Episcopi, ut in terminis hujusmodi sedilium tradunt Ugolin. Potest. Epis. c. 17. n. 7. Pignatell. tom. 9. consult. 147. num. 12. Antonell. de Loco legali lib. 1. cap. 3. num. 54. Monacell. part. 1. tit. 5. formul. 8. num. 4. Fusc. de Visitat. lib. 1. c. 26. Moron. tom. 1. respons. 51. num. 33. ac plene Odofred. in responso de hac re edito, quod refert, et sequitur Diana part. 10. tract. 10. resolut. 64. et Passerin. de Homin. Statu tom. 2. q. 187. art. 5. cap. 6. n. 379. ac declaravit Sacra Congregatio Episcoporum 28. Junii 1583. in hæc verba: « Non si dee permettere quella proprietà de' luoghi, che alcuni si persuadono di avere nelle Chiese, quasichè loro fossero Ereditarij, come sono le Case, e le possessioni, che si comprano. » Et idem resolutum fuit in Anagnina 5. Septemb. 1665. (9. Hinc non possunt Laici prædicta sedilia, seu scamna, aut eorum partem, sive eorundem usum, locum, aut situm aliis cedere, donare, aut quoquomodo concedere, nisi Episcopi consensus accedat; Sacra Congregatio Con. 5. Septemb. 1665.

(10. Consensus Episcopi non requiritur expressus, sed sufficit tacitus; Vivian. de Jure patronatus lib. 3. c. 2. num. 55. Antonell. de loco legali lib. 1. cap. 3. num. 56. Rota dec. 787. part. 1. divers. (11. Unde non potest Episcopus, sicut nec Rector Ecclesiæ laicis auferre hujusmodi Jus, si ab initio passus est eos habere, seu retinere sedile in aliquo Ecclesiæ loco; arg. quod semel 21. de Regul. juris in 6. ibi: « quod semel placuit amplius displicere non potest; » Giovagnon. consil. 8. n. 22. lib. 2. Gratian. discept. forens. cap. 210. num. 46. et sequent. Ciarlin. contr. forens. cap. 210. num. 16. 18. et 25. Antonell. loc. cit. num. 68. Sacra Congregatio Episcoporum in Assisiens. 22. Martii 1604. in Acheruntina 4. Junii 1608. in Tarentina 8. Decembr. 1645. (12. Nisi sic exposceret servitium, vel commodum Ecclesiæ, vel laicus prætenderet habere illud Jus quoad proprietatem, quia tunc non censetur acquisitum Jus irrevocabile, cum usus sedilium, quem laici habent in Ecclesia, proveniat ex benignitate, tolerantia, et ex gratia revocabili ejusdem, non autem Jure, ex quo valeant, ipsa Ecclesia nolente, servitutem seu quasi possessionem manutenibilem acquirere, ut fuit ponderatum a Sacra Congregatione Rit. in Fundana 5. Octobr. 1697. et in Verulana 6. Septembris 1698. et bene distinguit, et probat Passerin. de Statu homin. t. 2. q. 187. art. 5. c. 6. n. 379. Giovagnon. d. consil. 8. n. 19. et seqq. Ciarlin. loc. cit. n. 37. et seq. Paris. consil. 149. n. 25. lib. 4. Monacell. part. 1. tit. 5. formul. 8. n. 5.

(13. Quando lis est inter privatos super competentia loci, qui sunt in possessione, sunt manutenendi in tali possessione absque novitate, Sacra Congregatio Episcoporum 6. Martii 1692. (14. Locus autem in Ecclesia possessus videntibus et patientibus Rectore, toto Clero, et hominibus loci, sicuti acquiritur per decennium, ita præscribitur per

immemorabilem; Rota part. 18, tom. 2, recent. dec. 781, n. 7. (15. Adeoque nemini permittitur in præjudicium hujusmodi Juris quæsitum ponere novam sedem ante veterem; Rota ibid. n. 9. Paris. de consil. 149, n. 8, et alii Sac. Congr. Episcoporum in Acheruntina 4 Junii 1608, in Tarentina 8 Decembr. 1645. Quinimo pro manutentione sedis veteris cum sua antiqua præeminentia competit possidenti interdicitum Uti possidetis; Rota ibidem numer. 10. Giovagnon. d. consil. 8. num. 12, lib. 2. Gratian. discept. 110, num. 26. Ciarlin. contr. 119, num. 54, atque etiam alia remedia magis executiva, et violenta, ut notat Bald. in l. Observ. § Antequam in princip. ff. de Offic. procur. Menoch. consil. 51, num. 41. Gratian. mox. cit. discept. 110, num. 16. Rota ib. n. 11.

(16. Nec potest poni nova sedes ante veterem, etiamsi sedes vetus non amoveatur a suo antiquo situ, sed, ea intacta, assignetur locus alteri ante illam. Et ratio est clara, quia cum tota vis in sola præeminentia consistat, nihil refert ad solvendum præjudicium primi, quod ejus sedes non fuerit amota, quia paria sunt, vel quod fuerit mutata, et posita infra aliam, vel quod ea firma manente alia fuerit collocata supra ipsam, juxta communem hominum æstimationem, quia secundus sedendo inter personas ejusdem ordinis, inferior primo in eodem ordine semper reputatur ad Text. in cap. solita. de Majorit. et obed. Add. ad Greg. dec. 411, sub num. 5. § Verum, vers. Et potissimum, Rota part. 1, recent. dec. 3, num. 2 et 3, et bene ponderavit eadem Rota p. 18, t. 2, dec. 781, num. 19 et 20. (17. Neque hoc casu prævalet oblatio facta per assignatarium Ecclesiæ pauperi, quia licet ejus indigentia sit causa sufficiens, ut in ea assignetur Laico locus pro sede, et sepultura, ut tradit Adden. ad Greg. præcit. dec. 143, num. 10, cum tamen Ecclesia sit cultrix justitiæ, hujusmodi assignationes non permittit cum alterius præjudicio, ut declarat Rot. ibid., allegata in Calaguritana Sepultura coram Manzanedo inter recent. dec. 561, part. 4, to. 1, recent. et part. 18, tom. 2, d. dec. 781, num. 21 et 22. Jus enim sedendi in certo loco Ecclesiæ alicui quæsitum, eidem per supervenientem oblationem alterius tolli non potest; Bald. cons. 91, num. 3, in fin. lib. 4, dec. in cap. ult. sub num. 13, de constit. cum aliis apud Gratian. discept. 465, num. 17. Rota coram Bich. dec. 33, et p. 19, tom. 2, recent. dec. 474, num. 20, per supradictam rationem, quod Ecclesia lamquam justitiæ cultrix jus alicui quæsitum auferre non debet.

(18. Ex consuetudine sedendi in certo loco ratione præeminentie interdicitur censetur situatio cujuscumque alterius sedis, ex qua præjudicium præeminentie primi inferatur. Rota part. 19, tom. 2, recent. dec. 474, n. 11. (19. Dummodo tamen locus primus assignatus in communi hominum æstimatione reputetur aliorum omnium primus, ita ut consuetudo inibi sedendi suum operari non possit effectum præeminentie, si alteri designetur locus, qui reputari possit honorificentior,

juxta dec. 863, num. 7, part. 4, divers. et d. part. 19, t. 2, recent. dec. 474, num. 12. (20. Et dummodo primus assignatarius cum jure sedendi in certo loco acquisiverit etiam jus prohibendi, ne alius locus superior alteri assignari possit, prout requiritur in quocumque actu tendente ad impediendum exercitium libertatis; Rip. in cap. Cum Ecclesia Sutrina num. 68 et 151, de Caus. possess. et prop. Rolan. cons. 22, num. 27, lib. 2. Postius de Manuten. observ. 40, num. 30, in fin. Rota dict. dec. 474, num. 13. (21. Jus autem sic prohibendi ut acquiratur, requiritur quod Ecclesia, vel quilibet alius interesse habens acquirerit prohibitioni, juxta tradita per Rotam coram Buratt. dec. 312, num. 9, et dict. dec. 474, num. 15. (22. Ex simplici enim consuetudine sedendi in certo loco non inferitur id jus prohibendi, ne alteri in diverso, et etiam præstantiori concedatur sedes et sepultura, ut in proposito dixit Rota dec. 127, num. 5, in fin. coram Duno. sen. et dict. dec. 474, nu. 16. (23. Neque hoc modo præjudicatur habenti certum locum in Ecclesia, prout esset si a loco jam quæsitto amoveretur; Rota par. 19, to. 2, rec. d. dec. 474, n. 17, 18 et 19.

(24. Contra amoves sedilia agi potest actione injuriarum, etiamsi amovens esset administrator Ecclesiæ; Posth. intract. de Manut. obser. 73, num. 62, et obs. 18, num. 25, Antonell. de Loco legali lib. 1, cap. 3, n. 6. (25. Si antiqua forma Ecclesiæ immutetur in aliam structuram, sedilia seu scamna Laicorum in illa existentia reponi debent eodem ordine, quo reperiebantur ante immutationem fabricæ, vel in loco æque digno; Card. Petra tom. 2. Comment. in Constit. 3. Celest. III, num. 11. Ursaya tom. 7, part. 1, discept. 18, per tot. Rota in Pampilonen. Juris sedendi dec. 117, post Posth. de Manut. et dec. 378, p. 2, recent. (26. Jus habendi talia sedilia, vel sepulcra in Ecclesia concessum alicui familiæ, vel descendentes, extincta familia, transit ad hæredes extraneos, sicut et Jus patronatus gentilitium in tali casu ad extraneos hæredes transiret, nisi taxative concessum fuisset illis de familia dumtaxat, vel solis descendentes; Ancharan. cons. 81. Calderin. cons. 4, de Jure patron. Vivian. in prax. Jurispatr. lib. 4, cap. 9, num. 1, et seq. Antonell. de Loc. legali lib. 1, c. 3, n. 69. Card. Seraphin. dec. 364, num. 2 et seq. et dec. 378, per tot. (27. Sedilia non possunt in Ecclesia ita collocari, ut sedentes vergant terga ad SS. Sacramentum, et alia indecora orientur; S. Pius V, in Const. inc. Cum primum Apostolatus officium.

(28. Strata ad Ecclesias sibi deferri facere, nemini sub gravibus pœnis licere declaratur, exceptis dumtaxat personis Regalibus; Clemens XI, part. 3, sui Bullarii decr. 1. Congreg. Cæremon. ibi: « Proposito in Sacra Congregatione Cæremoniali quodam abusu inter alios, qui de recenti in Urbe irrepserunt, eadem Sacra Congregatio ad eum omnino tollendum die 30 currentis anni 1701, decrevit: Non licere cuicumque personæ quovis gradu, conditione ac dignitate insi-

gnitæ (ipsis personis regalibus tantum exceptis) ad Ecclesias strata sibi deferri facere; et si secus actum fuerit, immediate cessandum fore a divinis. Quod nisi servetur, Rectores, cæterosque Ecclesiarum ministros, ipso facto excommunicationis penam, aliasque arbitrio Sacræ Congregationis incurere, eamque Ecclesiam, in qua talis abusus permissus fuerit, habendam esse pro interdicta.

« Et facta per me Prosecretarium relatione Sanctissimo Domino Nostro, Sanctitas Sua decretum præfatum approbavit; nec non promulgari, ac executioni tradi, et in omnibus Urbis sacriis affigi mandavit die 3 Octob. 1701. »

(29. Affertur decretum generale Sac. Rit. Congregationis prohibens Laicis osculum Evangeliorum intra Missam, usum Baldachini in Ecclesiis, et assistentiam in Presbyteriis. Cum pluries Sacra Rituum Congregatio inhærendo decretis alias editis, et signanter in Lucerina die 22 Novembr. 1664, 28 Septemb. 1675, et 13 Mart. 1688, declaraverit, « nullo modo dandum esse Evangelium ad osculandum sæcularibus, etiam Præsidi in celebratione Missarum; necnon eis prohibuerit usum Baldachini in Baren. 5. Mart. 1667, et 17 Jun. 1684. Marsicen. Pelignanen. et Militen. 5 Mart. 1667. Hieracen. die 2 Octob. 1683, et Bitecten. 23 Septembr. 1684. Ac insuper denegaverit assistentiam in Presbyterio, et specialiter in Materanen. 24 Januar. 1665. Melphitana 15 Jun. 1665. et Baren. 29 Novembris 1677 et 22 Februar. 1687. Eminentissimi et Reverendissimi DD. Cardinales eidem Sacræ Congreg. præpositi, mandarunt ut prædicta decreta prohibentia personis sæcularibus osculum Evangelii, usum Baldachini, et assistentiam in Presbyterio, renoventur, et copiam illorum transmittantur Archiepiscopis et Episcopis, eisdem injungendo, ut illa intimari faciant Superioribus Ecclesiarum suæ Diœcesis tam sæcularibus, quam Regularibus, et in casu transgressionis procedant etiam contra Regulares, auctoritate ejusdem Sacræ Congregationis, ad penam interdicti. Et ita decreverunt, » etc. Die 13 Martii 1688.

(30. Aliud decretum generale Sac. Rituum Congreg. die 22 Aprilis, referente Eminentissimo et Reverendissimo D. Cardinali Columna Ponente, stetit in decisio die 13 Mart. 1688. et quoad Baldachina, non tantum illorum usum, verum etiam retentionem, tam in Presbyterio, quam extra, in eodem decreto comprehendi declaravit. Et ad effectum, ut memoria pereat similis abusus, mandavit ut jungatur Archiepiscopis et Episcopis Regni Neapolitani, quod hastas, gradus, suppedanea, et quæcumque alia signa Baldachini ab Ecclesiis suarum Diœcesum, tam sæcularium, quam regularium removere faciant, et quoad Ecclesias Regularium procedant ad interdicta, et contra inobedientes ad Censuras auctoritate Sac. Con. ead. die 22 April. 1690. quod et confirmavit Sanctissimus eodem die, et anno 1690.

(31. Hinc ead. Sac. Congr. Rit. in una Ame-

rina sedilium 16 Mart. 1697. confirmata 12 Sept. 1699. mandavit aptandum esse locum Magistratui extra Presbyterium juxta designationem porrectam a Magistro Cæremoniarum, non obstante quod Magistratus reperiretur in possessione, et allegaret alterius loci congrui deficientiam. (32. Et Magistratum Laicum non posse in Ecclesia habere retentionem sive usum tapeti, aut stratus declaravit d. Sac. Congreg. Rit. in Baren. 2 Septemb. 1690. in quarespondit « Concedendum esse Magistratui Baren. scamnum, sive sedile ligneum sine suppedaneo, panno coopertum, tam in Ecclesia Cathedrali, quam in omnibus aliis Ecclesiis sæcularium, et regularium extra Presbyterium, » quod decretum iterum approbavit in Aprutina 6 Octobris 1696. in respons. ad 8. in qua fuerunt proposita, et resoluta sequentia dubia:

(33. 1. « An, et quotuplici ductu sit thurificandus D. Præses Regius Provinciæ Aprutiænæ dum assistit Missæ cantatæ, quæ solemniter celebratur?

2. « An sit thurificandus eodem tempore, quo thurificatur Episcopus, et quatenus post, an ante, vel post Canonicos?

3. « An eidem Præsidi dandum sit osculum Evangelii, et quatenus affirmative, an eodem tempore, quo Evangelium osculandum datur Episcopo, et a quo sit dandum?

4. « An eidem Præsidi sit dandum osculum pacis eodem tempore, quo datur Episcopo, et quo instrumento, atque an ante, vel post Canonicos?

5. « An Domini Regii Auditores Regiæ Audienciæ Terami possint, dum assistunt Officiis divinis, sedere in sedibus coramineis cum brachiorum appodiis, et habere stratum cum pulvinari, stante quod prius tempore quo alia vice aderat in Civitate Tribunal Regiæ Audienciæ, sedebat in scamno ligneo nucis cum postergali, et suppedaneo, quod quidem scamnum adhuc extat in Ecclesia?

6. « An Magistratui Terami debeatur thurificatio duplici, vel unico ductu, et a quo sit thurificandus?

7. « An Episcopus possit concedere Magistratui inferiori, quod thurificetur duplici ductu contra formam Cæremonialis?

8. « An possit Magistratus Terami habere, et tenere scamnum in Ecclesia cum postergali, suppedaneo, genuflexorio, et brachiorum appodio? »

Quibus dubiis relatis Sac. Congr. Rit. respondit:

Ad 1. *Duplici ductu.*

Ad 2. *Negative*, quoad primam partem, et, quoad secundam servetur *Cæremoniale* lib. 1. cap. 23. in fin.

Ad 3. *Negative.*

Ad 4. *Post Episcopum dandum esse osculum pacis juxta Cæremoniale* lib. 5. cap. 24.

Ad 5. *Dilata, et videatur de solito.*

Ad 6. *Servetur solitum.*

Ad 7. *Negative.*

Ad 8. *Detur decretum in Baren. 2 Septembris 1690.*

(34. Et in alia Camerin. subortis inter Episcopum et Magistratum controversiis de as-

sociatione in solemnitatibus, de appositione stratus, de manu lotionis, de Gubernatoris sede et accessu, sub die 21 Februar. 1699. mandavit servari sequentia.

I. « Magistratus in solemnioribus festivitibus a Cæremoniali præscriptis, absente Gubernatore, habita hora a Magistro Cæremoniarum seu ab alio Ministro, ad Palatium Episcopi usque ad Portam cubiculi, quod dicitur Anticamera, accedere debet, et Episcopum Cappa indutum ad Ecclesiam comitabitur: peractis functionibus ad portam majorem ejusdem Palatii pariter comitabitur, et Episcopus monitus de adventu Magistratus statim ei obviam procedet, et ad Ecclesiam perget.

II. « Præsente vero Gubernatore obviam procedet Episcopo egredienti usque ad Portam Palatii ipsius Episcopi, et in accessu ad Ecclesiam Gubernator erit ad sinistram Episcopi, et idem in recessu servabitur.

III. « E conspectu Altaris SS. Sacramenti factis inter se debitis salutationibus, Episcopus ad genuflexorium strato, et pulvinari ornatum preces effundet, et hinc inde ad latera Canonici, Gubernator vero et Magistratus ad consueta eorum Sedilia pergunt, ibique genuflexi versus Altare Sanctissimi Sacramenti orabunt, et quando Episcopus ad Chorum perget, stantes ipsum transeuntem salutabunt, et idem ordo servandus erit, etiam absente Gubernatore.

IV. « Si vero Episcopus ad Ecclesiam per parvam portam perget, Magistratus ad eandem portam accedere, et comitare debet.

V. « Magistratus non debet genuflectere supra puniculum, quod omnino prohibuit Sac. Congreg. die 9 Novemb. 1669.

VI. « Nulla Canonicorum assistentia debetur Episcopo, quando ad Ecclesiam accedit, et per eam incedit, dum est cappa indutus; secus vero quando est cum paramentis Sacris, et tunc Gubernator et Magistratus erunt post Episcopum.

VII. « Gubernator genuflectere non debet in eodem genuflexorio insimul cum Episcopo, quando est cum cappa indutus.

VIII. « Magistratus prout in Cæremoniali, tum absente, tum præsente Gubernatore, in lotionis manu inservire valeat.

IX. « Quando Episcopus Conciones audit, nulla Canonicorum assistentia ei debetur, et tunc Gubernator sedere debet prope Episcopum extra tamen Baldachinum in Sede Camerali consimili in æquali linea, eo modo quo sedere solent Episcopi non Cardinales, et neutra sedes sit coloris rubei.

X. « Accedente Gubernatore in habitu ad Ecclesiam, aliquis Ecclesiæ Minister Cotta indutus porriget eidem aquam benedictam manu, absente tamen Episcopo. »

(35. Quæ decreta cum fuissent per modum concordiæ proposita ab Eminentissimis DD. Cardinalibus Carpineo et Petruccio ad hunc effectum deputatis, et partes noluisse acquiescere reposita causa sub die 19 Aprilis 1698. Sac. Congreg. declaravit, esse omnino servanda, et adhuc partibus reclamantibus sub die 21 Februar. 1699. stetit in decretis, et silentium imposuit.

Qualis honor debeat Præsidi Provinciæ, declaravit S. Congregatio Rit. in Maceraten. 5. Augusti 1662. modo sequenti:

1. « Gubernatori Maceraten. Præsidi Provinciæ, non habenti facultatem Legati de Latere non competere Sedem sub Baldachino, sed sine solio supra scamnum Magistratus, nempe cameralem decentem, et disjunctam a scamno Magistratus, eidemque unico gradu, vulgo prædella, tapete obducto, nedum Divinis juxta Presbyterium, sed etiam alibi concionibus audiendis, pariter supra scamnum Magistratus perpetuo detinendam.

2. « Episcopum tamen, Præsidi prædicto præsente, nullibi Diœcesis debere a Benedictionibus populi tum privatis, tum solemnibus abstinere, sed neque ullum humanitatis actum antequam benedicat erga Gubernatorem Præsidem exhibere.

3. « Nullam deberi præcedentiam Gubernatori Præsidi Provinciæ supra Episcopum, etiam extra Diœcesim degentem, quamvis Præsides in sua provincia existat.

4. « Episcopum non debere obviam ire Gubernatori Præsidi Provinciæ advenienti ad Cathedralem, neque illum ab ea discedentem associare.

5. « Gubernatorem, seu Præsidem prædictum teneri accedere ad Episcopum, ut ab eo accipiat candelam, et Palmam benedictam, etiam cum osculo manus Episcopi; idemque servandum in distributione cinerum, numquam tamen teneri Episcopo genuflectere.

6. « Canonicos teneri præstare Gubernatori Civitatis Præsidi Provinciæ consueta obsequia, quapropter saltem per duos Canonicos idem excipiatur, et ad Portam Ecclesiæ in discessu associetur.

7. « Magistratum teneri præstare Episcopo, et Cathedrali Ecclesiæ consueta obsequia, tum præsente, tum absente Gubernatore, et quatenus renuat, compelli posse. At si Magistratus sponte velit ad Cathedralem accedere, et divinis inibi juxta solitum interesse, aut antequam de ejus contumacia per actus positivos Episcopo non constet, nulla ei vis inferatur, vel in eum Episcopus nullum coactionis remedium exsequi permittat.

8. « Ad supplendum Magistratui absentis in lotionis manuum Episcopi, posse subrogari alios nobiles viros, quibus tamen locus in Scamno Magistratus minime assignetur, sed qualibet vice in ipso solemnitate peragenda actu, seligendos, et vocandos, et quoad fieri potest variandos, nulla tamen prævia in scriptis eorum deputatione.

9. « Præterea eadem Sac. Congr. declaravit Gubernatorem Præsidem Provinciæ non Episcopum, non posse sumere paramenta de Altari, ex quo id vetitum sit Prælati Episcopis inferioribus, etiam usu Pontificalium gaudentibus, præterquam in Missis Pontificalibus. »

(36. Quod Decretum habuisse apud se authenticum testatur Monacelli part. 2, tit. 13, formul. 2, num. 13, a quo referuntur etiam alia adducta n. 29.